

*Aer impu-
rus*

*Vitia qui-
bus acies
leditur*

*Necessaria
quæ ad
prædictio-
nes*

fuisse. Nam in conualle, loco palustri, & semper lutulento: ubi auster & gemini laterales venti regnāt, et quō Aquilo, Boreas, Caurus, & Fauonius non pertingunt, aer aciem fallit, ut pro nitore squalorem: pro splendore ruborē igneum, pro fulgore obscurum liuorem oculis referat. Huius generis cœlum solet non paucos decipere. Et si philosophos labi uidemus, quid fiet imperitis, & ineptis ingenijs, quorum est maxima pars? Et si fefellit multos color maximī & fulgentissimī Cometæ, quid erit certi in minoribus & minus lucidis? Mitto naturæ impedimenta, cerebri, oculorum. Qui firma sunt acie atque acuta, his minus officiet aer caliginosus. Contrā, quibus obtusior uisus est fulgorem non benè percipiūt, sed omnia subobscura, & sordida in cœlo & aere iudicant. Et idem homo, iisdem oculis, non uno semper modo species istas accipere potest. Sunt incredibiles nostri corporis mutationes. Et sanguinis ac spirituum habitus, æstus & habitus, cibus itē & potus non simplex, præsertim in his terris, faciunt, ut uariius fiat rerum lucidarum & maximè distantium conspectus. Cum igitur tantum sit difficultatis in Cometæ aspectu, atque colorum uarietas in Cometa reddet incertum de istius natura iudicium.

Quam sit dubia Mathematicorum opinio, patet. Etenim fieri nequit, ut de rei uiribus, & effectibus differamus, natura ipsa rei minus intellecta. Est autem tantum in aere impedimentum, ut non color solum incertus reddatur, sed ipse etiam speciei motus. Nam aeris concitatio ac tremor, siue à uento, siue sit à mobili uapore, facit ut stella errans prope horizontem tremat mirandum in modum. Nudius tertius dum sederemus, & colloqueremur, hoc ego uidi, & animaduerti in uno ex planetis. Micabat ascēdens ab ortu. Postea, cum uiderem eundem per aerem puriorem, sine ulla scintillatione apparuit. Hoc ipsum tu Heros uidisti cum ipse de hac re non leui differerem. Itidem fit in Cometa. Vnde aliqui decipiuntur, credentes ad horizontem hanc ultimam crinitam uibrantem, uariam, discoloram